

ti à zizaniis inimici hominis secerni potuisset: tot Catechismi quot provinciæ sunt in Europa, imò ferè quot urbes circumferebantur, qui omnes scatebant hæresibus, quibusque simplicium animi ubique decipiebantur, vixque ullus erat in fide bene tersus, (a) Quamobrem Patres æcumenicæ Tridentinæ Synodi cum tanto & tam pernicioso huic malo salutarem aliquam medicinam adhibere maxime cuperent, non satis esse putarunt graviora Catholicæ doctrinæ capita contra hæreses decernere, sed illud præterea sibi faciendum censuerunt, ut certam aliquam formulam & rationem Christiani Populi ab ipsis fidei rudimentis instituendi traderent, quam in omnibus Ecclesiis illi sequerentur, quibus legitimi Pastoris & Doctoris munus obeundum esset. Adnotate, Pastores, & librum hunc agnoscite vestrum, quandoquidem & vestri causâ non modò susceptus & editus est, sed ejus etiam usus vobis ab ipso Concilio sic præcipitur: (b) *Ut fidelis populus ad suscipienda Sacramenta majori cum reverentia atque animi devotione accedat, præcipit sancta Synodus Episcopis omnibus, ut non solum cum hæc per se ipsos erunt populo administranda, prius illorum vim & usum pro suscipientium captu explicent, sed etiam idem à singulis Parochis piè prudenterque etiam linguâ vernaculâ, si opus sit, & commodè fieri poterit, servari studeant.* JUXTA FORMAM A SANCTA SYNODO IN CATECHESI SINGULIS SACRAMENTIS PRÆSCRIBENDAM, quum Episcopi in vulgarem linguam fideliter verti; atque à Parochis omnibus populo exponi curabant &c. Ex his patet cur & pro quibus sacrosancta Tridentina Synodus decreverit edendum esse hoc sanctum opus, & ex citatis suprâ non obscurè innaitur jam ab initio Concilii Patres, hoc ut maxime necessarium prævidisse statuisseque, vel saltem, quod certum mihi prorsus est, sacrum hoc opus componendum sancivè, sessione 18. quæ secunda est, sub Pio IV. procurante tunc, & diligentiam non credibili promovente, quidquid moribus reformandis erat proficuum, S. Carolo Borromæo; nam cum ibi de librorum delectu decretum sit, & ad hoc selecti sint Patres quidam, ut suspecti quique ac perniciosi libri seligerentur & prohiberentur à Concilio: indubitatum est simul & de remedio huic pestiferæ doctrinæ afferendo, hoc est, de Catechismo edendo, fuisse sancitum, aliosque, quos inferius nominabimus, Patres delectos esse qui tanto operi incumberent, hoc planè constat ex continuatione sessionis vigesimæ quintæ, ubi de indice librorum & de ipso Catechismo absolvendo decernitur; ibi enim sic:

Sacrosancta Synodus, in secunda sessione sub sanctissimo Do-
mi-

(a) Catechismus, in præf. (b) Sess. 24, de Reformat. c. 2.

mino nostro Pio IV. celebrata, delectis quibusdam Patribus commisit, ut de variis censuris ac libris vel suspectis, vel perniciosis quid factu opus esset considerarent, atque ad ipsam sanctam Synodum referrent, audiens nunc huic operi ab eis extremam manum impositam, nec tamen ob librorum varietatem & multitudinem distinctè & commodè possit à sancta Synodo judicari, præcipit ut quidquid ab illis præstitum est, sanctissimo Romano Pontifici exhibeatur, ut ejus judicio atque auctoritate terminetur & evulgetur, idemque de Catechismo à Patribus quibus illud mandatum fuerat, & Missali & Breviario fieri mandat. Ex his manifestè constat: primò cur hanc Catechesis formam Tridentina Synodus edendam præceperit; secundò quando id decreverit; tertio tantæ esse auctoritatis hunc Catechismum, ut cæteris omnibus debeat anteponi; quarto minimè unquam Pastorum manibus recedere debere: ipsis enim est veræ Theologiæ promptuarium, & totius Ecclesiasticæ disciplinæ penus refertissima.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quibus Patribus componendi Catechismi cura fuerit data, & quamdiù circa eum laboratum sit.

Duobus diversis temporibus dici potest à Patribus collaboratum esse Catechismo: priori quidem, dum adhuc Trid. essent in Concilio, hoc est, per biennium ferè integrum: nempe à sessione 18. celebrata die 26. Februarii 1562. usque ad finem Synodi, quæ absoluta est mense Decembri ann. 1563. posteriori verò, id est, sacrosancto Cœtu dimisso, Romæ, quo quidam delecti Patres hac de causa fuerunt convocati, & huic operi incumbuere toto triennio & amplius, nempe à discessione Concilii, ad ann. 1566. quo S. Memoræ Pio V. totum opus absolutum oblatum est approbandum: unde fit ut per integrum quinquennium tum in componendo, tum in poliendo hoc Catechismo, collaboraverint selecti Patres à Concilio, inter cæteros piissimi atque doctissimi. Quod quidem animo revolvens, omninò non benè sanum judicarem eum, qui librum hujusmodi non omni existimatione dignum, nec omni sæculo venerandum arbitraretur; & qui inter disputandum de Theologia, si citaretur hic Catechismus, illum ad clasem puerorum contemptim rejicerent, certè sanniores essent & tenebriores. Sed ad Patres veniamus. Certum est ex ultima sessione, toto postremo Concilii biennio, plurimos ex Patrum Cœtu delectos celebres Theologos magnum studium, multamque operam contulisse in hunc Catechismum; nam ejus materia est divisa in articulos quosdam quibus deinde distributis, suum elucubravit quilibet,

elaboravitque juxta mentem Concilii, & Ecclesiae sensum, (a) prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Hoc testatur ita factum Christophorus Sanctorisius ordinis Eremitarum D. Augustini, qui asserit Cardinali Seripando ejusdem ordinis, hanc particulam symboli: *Et unam sanctam Ecclesiam Catholicam*, traditam fuisse explicandam. Quartum verò symboli articulum designatum esse Michaëli Medinae, ordinis Fratrum Minorum, patet ex ipsomet, qui sibi id attribuit in praefatione ad opusculum de eodem quarto symboli articulo: ex Possevino autem habemus in apparatu, littera P, Petrum Galesinum Catechismi hujus partem in qua Dei praecepta exponuntur, latinè exposuisse, & ibidem littera J, Julium Spogianum ultimum ejusdem Catechismi caput asserit exposuisse: idem confirmat distinctè Castalio, his verbis: *in Catechismo qui ex Concilii Tridentini decreto Pii V. jussu editus est, complures Theologi & disertissimi viri conscribendo elaboraverunt. Antoniano symbolum aut certè symboli partem explicandam obtigisse Delius Pasqualinus vir gravissimus mihi confirmavit: quod & ipse in Adversariis ejus reperi.* Ergo, attendite, quæso, Pastores, non soli Thomistæ, circa hoc opus collaborarunt, sicuti somnati sunt quidam, ut ejus imminerent auctoritatem, quasi non esset universalis opus Ecclesiae, sed sectæ cujusdam theologicæ peculiaris; in quo sanè non mediocrem infamiae notam inurunt Concilio & Summo Pontifici.

Dimisso verò sacrosancto Concilio, quod supererat operis, commissum esse quibusdam Patribus ex ordine Fratrum Praedicatorum non inficiamur; sed ex eo quòd ab Ecclesia munus hoc obeundum susceperunt, constare debet eos vel ultrò, proprios & peculiare animi sensus, si quos habebant, exuisse: vel ex decreto Concilii aut summi Pontificis mandato, saltem viva voce, injunctum esse illa non ex suo, sed ex Ecclesiae sensu tractanda esse omnia; alias non satis prudenter actum esset; quod asserere quantum nefas! Dicti autem Patres hi fuere I. Leonardus Martinus Lenuensis, Archiepiscopus Lancianensis. II. Ægidius Fuscararius Bononiensis, Episcopus Mutinensis. III. Franciscus Forerius Olisbonensis, Regis Lusitaniæ in Concilio Trid. Theologus: qui omnes quantæ pietatis, quantæ peritiae, quantique nominis extiterint, tum in ipsa Synodo, tum extra illam in exercitandis muneribus Ecclesiasticis plurimis, exhibere, mihi satis est unus S. Carolus Borromæus, in Epistola sua ad Cardinalem Warmiensem Stanislaum Hosium, ut credam eos inter Patres Concilii fuisse doctissimos: & meam

(a) In præfat. ad theatrum sanctorum Patrum.

utique confirmat fidem Josephus Ripalmontius: dum hæc ait: *Is (intellige Sanctum Carolum) animo conceperat eximium Catechismi Romani opus, de quo opere conscribendo sanxerant Patres (Tridentini) idque decretum inter cætera extabat: etiam ei dirigenda institutioni capitibusque disponendis summi Theologorum adlaborabant. Sed consilium erat Caroli ut divinitas & altitudo rerum atque sententiarum pari verborum dignitate explicaretur, adhibitisque latinæ linguæ summis, ea tempestate hominibus, per eos absolvit opus quod meliore Romanorum sæculo natum videri posset.* Ex quibus patet & in ipsum S. Carolum non mediocri ex parte hujus sacri operis laudem esse refundendam; quod etiam fit planum ex Epistola ejusdem Sancti ad Lusitaniam Regem, à quo petit ut sibi sit licitum, post dimissum Concilium, Franciscum Foretium retinere, quod ad Catechismum absolvendum esset Ecclesiae maxime necessarius: verum etsi his Patribus totius hujus sacri operis gloria deberi videatur, tamen nihilominus S. memoriæ Pio V. ut primo motori totum referri acceptum jure meritoque oportet: & si testis opus est, habemus Gabutium in ejusdem summi Pontificis vita, ubi sic ille: (a) *Sacrum Catechismum ad Parochos, quo præcipua Catholica doctrina dogmata luculenter explicata continentur, per viros Christiana eloquentia & eruditione insignes latine confeci primum, & ubique gentium evulgari, mox in Italicum, Gallicum, Germanicum ac Polonicum sermonem converti curavi.* His ita se habentibus de Catechismo Romano, quid, quæso, vos, censendum est? ejus meriti? ejus auctoritatis? Edendum illum decrevit œcumenica Synodus selectis Patribus quamlibet ejus materiæ particulam tractandam distribuit: ex omnibus tractantibus, jubente summo Pontifice, totum dirigente negotium sancto Carolo, compingitur & expolitur opus à viris in omnium scientiarum genere versatissimis, quorum spectata virtus, doctrina & pietas erat universæ Ecclesiae. An igitur invenire est librum ullum alium post Scripturam canonicam majoris faciendum, quique sæpius evolvi mereatur?

(a) Gabut, in vita Pii V. lib. 1. cap. 2.

A quibus Catechismus est approbatus.

Antequam Catechismus prodiret in lucem, etsi tot fuisset tantorumque virorum studio elaboratus; etsi toties, id sollicitante S. Carolo, lectus, relectus & eliminatus: attamen oblatu Pio V. sanctæ memoriæ, ut tandem summa sua auctoritate firmaretur: noluit tamen summus Pontifex sic exire eum à se, quin adhuc ab aliis Doctoribus prius recenseretur, ut qua par erat maturitate & prudentia editus Liber Catholicus catholicè reciperetur: res commissa est Guillelmo Sirleto Cardinali, ut pote cujus doctrinam & pietatem optimè noverat: quique nuper adnitentibus aliis Cardinalibus cum S. Carolo non paucis, summus Pontifex vix non erat renunciatus: is, tantus vir, Pii V. jussu quosdam secum adhibuit Theologos delectos in cæteris, qui hujus libri non solum dogmata, sed & ipsa verba trutinarent rimarenturque; quo diligentia singulari peracto (mirabilis sanè Pastoris, verè fidelis sollicitudo) illum approbavit summus Pontifex: atque Roma prodiens integer, purus & sincerus, quocumque deportaretur, jussit eum typis mandari Manutianis, expurgari omnino mendis, & ita evulgari. Operæ pretium est ipsa Pontificis verba ponderare; hæc autem sunt: *Motu proprio & Pastoralis officio cupientes, quàm diligentissimè possumus, divina adjuvante gratia fungi, & ea quæ sacro Tridentino Concilio statuta & decreta fuerunt, exequi, curavimus ut à delectis Theologis in hac alma urbe componeretur Catechismus, quo Christi fideles de eis rebus quas eos nosse, profiteri & servare oportet, Parochorum suorum diligentia edocerentur; qui liber cum Deo adjuvante, perfectus in lucem edendus sit, providendum duximus ut quàm diligentissimè & fidelissimè imprimatur. Itaque in hac alma urbe eum potissimùm imprimi volumus dilecti Filii Pauli Manutii diligentia, qui alios Ecclesiasticos libros hic imprimere solet. Quia verò sibi alibi imprimeretur, eveniri posset ut non pari fide ac diligentia talis argumenti liber imprimeretur, ob hanc causam &c. Datum Romæ apud Sanctum Marcum septimo Kalendas Octobr. anno primo.* Ex his manifestum est quanti fecerit hunc librum summus hic Pontifex, & quanta diligentia typis ille mandandus esset: sanè tanti Pontificis exemplo, quoties denuò est imprimendus, curare deberent Episcopi, ne tot erratis quot quasi lineis oppleretur.

Primus igitur (a) Pius Quintus non tantum proprio motu suo

suo hunc Catechismus approbavit, sed insuper commendavit eum toties, præcepitque usurpandum, quoties, vel de morum emendatione, vel de reformatione Ordinum agebatur: (a) videatur Bulla 102. edita anno 1580. pro reformatione Ordinis Cisterciensis: item Bulla 105. edita eodem anno, circa reductionem ad meliorem statum Congregationis Servorum Beatæ Mariæ: Item Bulla 106. eodem quoque anno edita circa Missalis emendationem.

Secundus à quo sacrum hoc opus fuit approbatum, Gregorius est XIII. Pii Quinti successor, qui in Brevi quodam anni 1683. declarat suo jussu & approbatione, denuò editum esse Catechismus, utilemque adeò librum hunc existimavit hic Pontifex, ut peculiari mandato in linguam Illyricam traduci illum præceperit, ut patet ex Concilio Aquileiensi mox citando; atque insuper, ut testatur Possevinus, Catechismus erat illi veluti regula quædam qua jus ipsum Canonicum reformari posse putabat: unde Francisco Gratiano de Garzatoribus Jurisconsulto & Canonico Vicentino suasit ut Juris Canonici epitomen ederet, in qua quidquid vel à summis Pontificibus, vel à Concilio Tridentino, vel à Catechismo Romano fuerat abrogatum, resecaret.

Tertius qui nostrum hunc Catechismus probavit, fuit Sanctus Carolus Borromæus, qui non tantum in suis suprâ citatis Epistolis, sed & maximè in prima Synodo quam Mediolani habuit anno Domini 1565. ubi Clericis omnibus, postquam decimum annum attingerit, præcipit ut Catechismus hunc assiduè legant.

Quartò probatus est idem Catechismus in Synodo Beneventana, anno 1567. ubi omnibus tum Parochis, cum verbi Dei prædicatoribus injungitur ut ad suum munus explendum, Catechismus, qui summi Pontificis jussu editus est, assiduè præ manibus habeant, ut omnia secundum sanam & Ecclesiasticam doctrinam docere valeant.

Quintò probatus est in Synodo Ravennatense 1568. ibique titulo de Seminario, cap. 4. librum hunc quem Concilii Trid. Catechismus vocat, mirum in modum commendat, præcipitque ut qui degunt in seminariis, eum assiduè præ manibus habeant.

Sextò iterum probatus est à S. Carolo in Synodo Mediolanensi anno 1569. ibique præcipitur Parochis un frequentius aliquam Catechismi Romani Lectionem inter se convenientes tractent.

Septimò probatus est in Synodo Salisburgensi in Germania, quæ habita est anno 1569. & sic decrevit const. 26. *Debent Parochi iis quæ ad ipsorum spectant ministerium; quem-*
ad-

(a) In Bullario, pag. 305.

(a) In Bullario, p. 307.

admodum & Episcopi cum Sacramenta per ipsos erunt populo ad ministranda, illorum vim & usum pro suscipientium captu in vulgari nostra lingua Germanica explicare, juxta ea que in Catechismo Romano sanè utilissimo & his temporibus maximè necessario continentur.

Octavo probatus est & tertio à S. Carolo in Synodo Mediolan. anno 1577. in qua præcipitur ut Parochi in Sacramentorum administratione Catechismi Romani locos & doctrinam adhibeant.

Nonò probatus est in Genuensi Synodo anno 1574. Tit. de fidei elementis à Parocho tradendis.

Decimò probatus est & quartò à S. Carolo in Synodo Mediolanensi, anno 1576. ubi inter libros, quos Episcopo visitanti Parochus exhibere debet, censetur Catechismus Romanus.

Undecimò probatus est & quintò ab eodem S. Carolo, in Synodo Mediolanensi, anno 1579. ubi de examinandi ratione præcipitur ut inquiratur ab ordinandis, *An Catechismus Romanum habeant, ejusve doctrinam teneant.*

Duodecimò probatus est eodem anno à Clero totius Galliæ, in Conventu Melodunensi, ubi multis in locis, sed maximè quatuor tit. De Baptismo, de Eucharistia, de Pœnitentia & de Ordine, hic Catechismus, qui ibidem Tridentinus agnoscitur, ita præcipitur Parochis ut ipsis ab hoc Catholico conventu Clericis necessarius omninò judicetur, & cæteris omnibus anteponeendus. Sic autem ibi: *Instituere tenentur Curati suos greges ex præscripto Catechismi Trident. quàm purè & simpliciter fieri poterit; & alibi: Adhibentes ea in re probè efficienda (nempe in exhortandis populis) Catechismi Romani locos & doctrinam Concilii Tridentini de singulis Sacramentis, ob id ab omnibus Curatis accuratè & studiosè legendam: præterea Catechismi Tridentini in rebus hujusmodi ac piis operibus exercendis, regulas & præcepta, quàm fieri poterit, accuratè, sequantur Confessarii.*

Decimò tertio probatus est in Synodo Rothomagensi an. 1581. ubi sic: *Ut autem quilibet Parochus officio suo defungi queat, Catechismus Romanum Latine & Gallicè habeat, cap. 10.*

Decimò quartò in Synodo Burdegalensi, anno 1582. ubi sic: *Parochi singulis festis diebus aliquid ex Catechismo Trident. quem Latine & Gallicè auctoritate nostrâ editum penes se habere injungimus, populo proponant &c.*

Decimò quintò, in Synodo Turonensi, anno 1583. tit. de professione & fidei tuendæ cura.

Decimò sextò, in Synodo Remensi, 1583. tit. de Curatis.

Decimò septimò, in Synodo Provinciali Aquensi, in Gallia, anno 1485. tit. de Parochis, ubi sic: *Ut autem quilibet Parochus suo officio defungi queat, Catechismus Romanum Latine & Gallicè habeat &c.*

Decimò octavo, in Synodo Provinciali Tolosana, anno 1590. ubi sic: *Injungi mus Parochis ut continuo Catechismus Concilii Tridentini præ manibus habeant, tit. de Sacramentis.*

Decimò nonò, in Synodo Avenionensi, anno 1594. tit. de Officio Parochi: *Catechismus Romanum sedulo præ manibus habeant &c.*

Vigesimò, in Synodo Aquileiensi, anno 1586. de qua jam supra.

Omitto Synodos diocesanas complures in quibus Catechismus hic noster approbatur. Omitto & magni omnino nominis Doctores, qui post libros canonicos nullum alium quàm hunc Catechismus tutius aut utilius legi posse asserunt. His ita positis, amice lector, quis feret frontem eorum qui hoc opus sacrum quasi puerile despicientes, illud vel attingere dedignantur, id propter tantum, quia Catechismus inscribitur? ò cæcas hominum mentes!

Sed ut homunciones illos omni rubore suffundam, audiant, quæso S. Caroli Borromæi amicissimum & sacri Colegii decus Augustinum Valerium Cardinalem Episcopum Veronensem, libro priori ad Acolytos Veronenses.

Catechismus abhinc triennium est editus Pii V. Pontificis Maximi jussu; quem ad juvandam rempublicam Christianam, & restituendam veterem Ecclesiæ disciplinam nobis divinitus videmus datum esse. Opus iam præclarum, si sententiarum gravitatem & lumina etiam verborum spectemus, ut nullum præclariùs, multis abhinc sæculis editum docti homines judicent. Sunt enim explicata omnia, quæ ad instituendas animas pertinent, tanto ordine, tanta perspicuitate, tantaque cum majestate, ut sancta mater Ecclesia, Spiritu sancto edocta, non homo quispiam, vocem emittere, & omnes docere videatur. Vos qui aliquantum atate processistis, legite hunc Catechismus septies & plusquam septies; mirabiles enim fructus ex eo percipietis. Quod si in historiis scriptum est, Demosthenem, ut eloquentiæ laudem conquereretur, octies descripsisse Thucididem, eaque ratione, omnes illius conciones plenas argumentis, memoria commendasse, quanto equius est vos qui in disciplina Eccles. versantes, omnia vestra studia referre debetis ad gloriam Dei, & salutem vestram & aliorum, & egregium librum, dictante Spiritu sancto, Patrum qui in Concilio Tridentino aderant, decreto scriptum, & Christi Vicarii auctoritate editum octies legisse diligenter, atque etiam descripsisse?

Utilitates & usus Catechismi colliguntur.

Tot sunt utilitates Catechismi Tridentini, quot possunt numerari necessitates Ecclesiae: si haeresis, ne expuatur ab inferis & Catholicos interturbet, occludenda est, à Parochis saepius explicetur hic Catechismus: si haeresis ominoso & infausto quodam abortu jam exorta suffocanda sit, à Parochis saepius explicetur hic Catechismus: sincera sicubi est & illibata conservanda Religio, à Parochis saepius explicetur hic Catechismus: si Clerici adolescentes in Seminariis, aut privatim ad munera qualibet Ecclesiastica subeunda sint apparandi, praelegatur illis saepius hic Catechismus: sacramenta sicut par est, pie & cum proximorum aedificatione si quis administrare voluerit, unus illi sit praemanibus hic Catechismus: denique si qui Sacerdotes confessionis excipiendis, habendis concionibus, dirigendis animabus accingere se se cupiant hoc uno utantur Catechismo.

Sed etiam illo utendi non una tantum ratio est, ut ex praenotatis in proclivi est advertere. Utiliores hic indigitabo.

Prima ratio utendi Catechismo inungitur in omnibus ferè Synodis tum provincialibus, tum diocesanis, quae post Concilium Trident. habitae sunt, ejus nimirum assidua lectio, vel saltem ita frequens, ut quidquid hic liber continet, memoriter complectatur.

Secunda ratio utendi sacro hoc opere, praecipitur à S. Carolo, in 2. Synodo Mediolanensi citata; ut scilicet convenientes ad se invicem Parochi viciniae cujuslibet aliquam hujus Catechismi lectionem frequentius inter se tractent, quod ex laudabili consuetudine singulis hebdomadis in usu est in celebri Presbyterio S. Nicolai de Cardineto Parisiis.

Tertia ratio utendi Catechismo praecipitur ab eodem S. Carolo, in 3. Synodo Mediol. ubi praecipit, quoties Parochi aliquod Sacramentum administraturi sunt, ut locos & doctrinam hujus libri adhibeant, & populo exponant; idem praecipitur in Synodo Rothomagensi supra citata.

Quarta ratio utendi hoc libro proponitur in Synodo Burdegal. citata etiam supra, dum praecipitur ut singulis diebus festis aliquid ex hoc Catechismo Parochi populis proponant, de iis rebus, quas nosse Christianorum omnium interest.

Quinta ratio praecipitur in Synodo Cremonensi, ann. 1603. p. 9. his verbis: Divino afflatu Spiritus Sancti, illi Patres qui in Concilio Tridentino praefuere, mandarunt, ut quamprimum Romanus Catechismus conscriberetur, ex quo veluti ex foecundissimis sanctae Matris uberibus, Clerici omnes Ecclesiasticae doctrinae suavissimum lac exsugere valerent. Ea igitur consuetudo,

do, quae sanctè in nostra Seminaria introducta est, Clericis omnibus Romanum Catechismus explicandi, omnino inde à Ludimagistris Clericis sub poena suspensionis quotidie, vel saltem ter in hebdomada servetur.

Sexta ratio praecipitur in ipsa praefatione Catechismi ab iisdem Patribus, quorum obtemperando mandatis, praxis quae sequitur, est instituta.



ARGUMENTORUM PRINCIPALIU

INDEX.

Proœmium generale.	Pag. 1.	<i>De Præceptis Decalogi.</i>	
<i>De Symbolo Apostolorum.</i>		Præcepta in communi.	p. 237.
Symbolum in communi.	p. 9.	I.	279.
I.	11.	II.	293.
II.	23.	III.	305.
III.	31.	IV.	315.
IV.	37.	V.	325.
V.	46.	VI.	334.
VI.	55.	VII.	340.
VII.	60.	VIII.	351.
VIII.	66.	IX.	361.
IX.	72.	X.	ibid.
X.	85.		
XI.	90.	<i>De Oratione Dominica.</i>	
XII.	99.	Oratio in communi.	370.
		Necessitas orationis.	ibid.
		Utilitas orationis.	372.
		Partes & gradus orationis.	375.
		Petenda in oratione.	378.
		Pro quibus orandum.	379.
		Quis orandus.	382.
		Præparatio in oratione.	383.
		Modus & ordo orandi.	386.
		Proœmium orationis.	390.
<i>De Sacramentis.</i>		I.	400.
Sacramenta in genere.	106.	II.	405.
Baptismus.	122.	III.	413.
Confirmatio.	152.	IV.	422.
Eucharistia.	162.	V.	431.
Pœnitentia.	198.	VI.	442.
Extrema Unctio.	235.	VII.	451.
Sacra Ordinatio.	243.		
Matrimonium.	259.	Petitio.	

INDEX

CAPITUM ET SECTIONUM

TOTIUS OPERIS.

P A R S P R I M A.

Præfatio agens de Pastorum in Ecclesia necessitate, auctoritate, officio, & præcipuis doctrinæ Christianæ capitibus, divisa in sectiones xiii. pag. 1. & seq.

CAP. I. *De Fide & Symbolo fidei, divisum in sectiones iv. 9. & seq.*

CAP. II. *De primo Symboli Articulo: Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cœli & terræ; div. in sect. xxiii. 11.*

CAP. III. *De secundo Symboli Articulo: Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, divisum in sectiones xii. 23.*

CAP. IV. *De tertio Symboli Articulo: Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, divisum in sectiones xi. 31. & sequent.*

CAP. V. *De quarto Symboli Articulo: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus, divisum in sectiones xvi. 37. & seq.*

CAP. VI. *De quinto Symboli Articulo: Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis, divisum in sectiones xv. 46. & seq.*

CAP. VII. *De sexto Symboli Articulo: Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis, divisum in sectiones ix. 55. & seq.*

CAP. VIII. *De septimo Symboli Articulo: Inde venturus est judicare vivos & mortuos, divisum in sectiones xi. 60.*

CAP. IX. *De octavo Symboli Articulo: Credo in Spiritum Sanctum, divisum in sectiones viii. 66.*

CAP. X. *De nono Symboli Articulo, Sanctam Ecclesiam &c. divisum in sectiones xxvii. 72.*

CAP. XI. *De decimo Symboli Articulo: Remissionem peccatorum, divisum in sectiones xii. 85. & seq.*

CAP. XII. *De undecimo Symboli Articulo: Carnis resurrectionem, divisum in sectiones xiv. 90.*

CAP. XIII. *De duodecimo Symboli Articulo: Vitam æternam, divisum in sectiones xiii. 99. & seq.*

P A R S S E C U N D A.

CAP. I. *De Sacramentis in genere, div. in sect. xxxii. 106.*

CAP.

- CAP. II. De Sacramento Baptismi, divisum in sectiones lxxvi. 122.
& sequent.
- CAP. III. De Sacramento Confirmationis, divisum in sectiones xxvi. 152.
& seq.
- CAP. IV. De Sacramento Eucharistiæ, Missæ Sacrificio & Communione,
divisum in sectiones lxxxii. 162. & seq.
- CAP. V. De Pœnitentiæ Sacramento, & tribus ejus partibus, Contritione,
Confessione & Satisfactione, div. in sect. lxxxix. 198. & seq.
- CAP. VI. De Sacramento Extremæ Unctionis, divisum in sectiones xvi.
235. & seq.
- CAP. VII. De Sacramento Ordinis, divisum in sectiones xxxix. 243.
& seq.
- CAP. VIII. De Sacramento Matrimonii, divisum in sectiones xxxiv. 259.
& seq.

P A R S T E R T I A.

- CAP. I. De Decalogo, divinisque legibus observandis, divisum in sec-
tiones xiv. & seq.
- CAP. II. De primo legis præcepto: Ego sum Dominus &c. divisum in
sectiones xxxiv. 279. & seq.
- CAP. III. De secundo legis præcepto: Non assumes nomen Domini &c.
divisum in sectiones xxx. 293.
- CAP. IV. De tertio legis præcepto: Memento &c. divisum in sectiones
xxix. 305.
- CAP. V. De quarto legis præcepto: Honora patrem tuum &c. divisum
in sectiones xii. 315.
- CAP. VI. De quinto legis præcepto: Non occides, divisum in sectiones
xxv. 325.
- CAP. VII. De sexto legis præcepto: Non mœchaberis, divisum in sec-
tiones xiii. 334.
- CAP. VIII. De septimo legis præcepto: Non furtum facies: divisum in
sectiones xxv. 340.
- CAP. IX. De octavo legis præcepto: Non loqueris &c. divisum in sec-
tiones xxiii. 351.
- CAP. X. De nono & decimo legis præcepto: Non concupisces domum
proximi tui &c. divisum in sectiones xxiii. 361.

P A R S Q U A R T A.

- CAP. I. De Oratione, ejusque necessitate, divisum in sect. iv. 370.
- CAP. II. De orationis utilitate, divisum in sect. xi. 372.
- CAP. III. De partibus & gradibus orationis, divisum in sectiones vii.
375.
- CAP. IV. De iis, quæ petenda sunt, divisum in sect. v. 378.
- CAP. V. Pro quibus orandum est, div. in sect. vii. 379.
- CAP. VI. Quis orandus sit, div. in sect. iv. 382.

CAP.

- CAP. VII. De præparatione adhibenda ad orationem, divisum in sec-
tiones vi. 383.
- CAP. VIII. Quæ ratio in orando requiratur, divisum in sectiones ix. 386.
- CAP. IX. De præmio orationis Dominicæ: Pater noster, qui es in
Coelis, divisum in sectiones xiv. 390.
- CAP. X. De prima petitione orationis Dominicæ: Sanctificetur nomen
tuum, divisum in sectiones iv. 400.
- CAP. XI. De secunda petitione orationis Dominicæ: Adveniat Regnum
tuum, divisum in sectiones xix. 405.
- CAP. XII. De tertia petitione orationis Dominicæ: Fiat voluntas tua,
divisum in sect. xxiv. 413.
- CAP. XIII. De quarta petitione orationis Dominicæ: Panem nostrum &c.
divis. in sect. xiii. 422.
- CAP. XIV. De quinta petitione orationis Dominicæ: Et dimitte nobis
debita nostra, sicut & nos dimittimus &c. divis. in sect. xxii. 431.
- CAP. XV. De sexta petitione orationis Dominicæ: Et ne nos inducas in
tentationem, div. in sect. xx. 442.
- CAP. XVI. De septima petitione orationis Dominicæ: Sed libera &c.
divis. in sect. xii. 451.
- CAP. XVII. De extrema orationis Dominicæ particula, quæ est: Amen,
divisum in sectiones vi. 457.



INDEX EVANGELIORUM DOMINICALIUM.

In gratiam piorum Divini Verbi Declamatorum facili ordine digestus, quo demonstratur, quoddam hujus Catechismi argumentum ad quam partem cujuslibet Evangelii referri & accommodari possit: ex quo conciones ornare & amplificare poterunt non solum illi, verum omnes, quibus ad sedandos hominum affectus, componendam vitam, animasque Christo venandas, plebem hortari & pascere famelicis oves datum est; quales sunt Parochi, quique animarum curam ex professio adepti sunt. Porro nullum ferè erit Evangelium alicujus solemnitatis, cui uberrimam dicendi copiam non suppeditet vel more oratio fuse & copiose, vel Scholastico breviter, profundè & acutè, ita ut sufficienter unicuique animum explere liceat.

Dominica Prima Adventus.

Erunt signa in sole & luna &c. Lucæ 21. Hoc Evangelium ad argumentum de judicio generali traducendum est. Quare hic recurat Parochus ad Articulum Symboli, *Inde venturus est judicare vivos & mortuos*, pag. 60. & seq. prout faciendum præcipitur. p. 7. vel secundum aliarum Ecclesiarum ritum:

Ecce Rex tuus venit tibi &c. Matth. 21. Hic oportunè tractabit Parochus ea, quæ de Incarnatione & causis Adventus Christi Domini nostri habentur art. 2. & 3. Symboli Apostolici, p. 23. 24. & 31. & seq.

Invenietis asinam alligatam & pullum cum ea, solvite &c. D. Athanasius in sermone de Verbis hujus Evangelii ostendit, ex hoc loco Apostolis & eorum successoribus factam esse potestatem sol-

vendi eos, qui instar asinorum, peccatorum pondere pressi, ad eos confugerent. Quare hic populo exponet Parochus, quæ habentur de confessione, 214. & seq. & absolutione, pag. 222. & de potestate remittendi peccata in Ecclesia. pag. 86. & seq.

Dominica secunda.

Cum audisset Joannes in vinculis &c. Tu es, qui venturus es &c. Matth. 12. Ista Joannis interrogatio tam sedula ostendit, quanto cum studio curare debeamus, ut de rebus fidei & nos & ii qui nobis subsunt, ritè & à Catholicis Doctoribus instruamur. Vide, quæ huic argumento inserviunt, initio Catechismi usque ad primum Symboli articulum, p. 2. & seq.

In

In vinculis. Fides usque ad vincula, imò ad necem usque, cum opus est, & à judice urgemur, proficenda est: nec est satis eam pectore inclusam habere, quantumvis rectam & sinceram, ut ostenditur, p. 12. & 13. vel *Erunt signa in sole & luna &c.* ut in Dom. præc.

Dominica tertia.

Confessus est, & non negavit. Joan. 1. Ex hoc loco simpliciter verum fateri docemur, nec intermiscere Jusjurandum, ut nobis fides adhibeatur. Vide, quando & ubi, quibus pœnis jurare prohibetur, p. 301. & seq.

Quid ergo baptizas, si tu non es Christus? &c. Agendum hic de ministris baptismi, de quo p. 131. Et quomodo sese habeat in dispensatione Sacramentorum Christus Dominus, & minister, quantum ad effectum Sacramenti, p. 117. & 118.

Cujus ego non sum dignus &c. Hic monere Parochus populum sibi creditum debet, ut sese profestis natalitiis ad sacram synaxim præparet, & agere de condigna tanti hospitis (cujus corrigiam calcamenti solvere indignum se Joannes Baptista censet) susceptione. Vide de præparatione ad Eucharistiam, p. 186. & 189. vel, *Cum audisset Joannes in vinculis*, ut in Dominica præc.

Dominica quarta.

Anno quintodecimo Imperii Tiberii Caesaris &c. Luc. 3. Cum hic de principibus mundi fiat mentio, eadem ratio afferri potest, quæ affertur, pag. 38. de eodem Pontio Pilato.

Factum est Verbum Domini super Joannem &c. Quoniam Joannes non nisi à Deo legitimè vocatus officium verbi Dei prædicandi exercuit, idè hic de legitima vocatione ministrorum Ecclesiæ Parochus disseret, ex p. 244. 252. & seq. legitimosque eos ministros non esse dicet, qui missi non sunt, ut traditur, p. 2. & 3.

In deserto. Hic de probitate & morum integritate ministrorum verbi (qui sunt Sacerdotes) agatur, ex p. 256. & de castitate, quæ eis, quando fiunt subdiaconi, indicitur, ut habetur, p. 251.

Prædicans baptismum pœnitentiæ. Quomodo adulti, qui Baptismum suscipere debent, affecti esse debeant, & præteritæ eos vitæ pœnitere, traditur, p. 138. quomodo hic baptismus Joannis repeti debuit, p. 117.

Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Hic de præparatione ad Eucharistiam, de qua in superiori Dominica, & de necessaria mandatorum Dei observantia, de qua p. 277. 278. vel, *Et confessus est, & non negavit*, ut in Dominica præc.

In die Nativitatis Domini.

Peperit primogenitum filium suum &c. Luc. 2. Explicetur artic. Symboli, *Natus ex Maria Virgine*, qui est hujus loci maximè proprius p. 31.

Eodem die ad Missam majorem.

In principio erat Verbum, & Verbum erat &c. Joan. 1. Quoniam hic locus, dum agitur de æterna Christi Domini generatione, adducitur; hinc Parochus petet hujus loci expositionem à p. 28.